



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Conversatione Apostolica - A Curatoribus Animarum piè & fructuosè instituenda ; Complectens varios & solidos modos juvandi & consolandi diversorum Statuum Personas afflictas, præcipuè aegras & captivas ...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1680

Memb. IV. Tres piæ & utiles morientibus orationes cum tribus Pater & Ave in Agone mortis recitandæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49274)

regni caelestis tradita sunt. Adjuvet eum sanctus Paulus Apostolus, qui dignus fuit esse vas electio-
Intercedat pro eo sanctus Joannes electus DEI A-
postolus, cui revelata sunt secreta caelestia. O-
pro eo omnes sancti Apostoli, quibus à Domino do-
ta est potestas ligandi atque solvendi. Intercedat
pro eo omnes Sancti & Electi DEI, qui pro Christi
nomine tormenta in hoc saeculo sustinuerunt &
vinculis carnis exutus, pervenire mereatur ad glo-
riam regni caelestis: praestante Domino nostro JESU
Christo: Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit &
regnat in saecula saeculorum. *ꝛ.* Amen.

M E M B R U M IV.

Tres pia & utiles morientibus Orationes qua-
tribus Pater & Ave in agone mortis
recitandae.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster. Ave Maria.

Oratio.

Domine JESU Christe, per tuam sanctissimam
agoniam & orationem, qua orasti pro nobis
monte Oliveti, quando factus est sudor tuus
gutta sanguinis decurrentis in terram: obsecro
ut multitudinem sudoris tui sanguinei, quem pro
moris angustia copiosissime pro nobis effudisti, con-
ferre & ostendere digneris DEO Patri omnipotenti
contra multitudinem omnium peccatorum hujus
muli tui *N.* & libera eum in hac hora mortis suae
omnibus poenis & angustiis, quas pro peccatis suis
timet meruisse. Qui cum Patre & Spiritu sancto vi-
vis & regnas DEUS in saecula saeculorum. *ꝛ.* Amen.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster. Ave Maria.

Oratio.

Domine JESU Christe, qui pro nobis mori dignatus es in cruce, obsecro te, ut omnes amaritudines passionum & pœnarum tuarum, quas pro nobis miseris peccatoribus sustinuisti in cruce, maximè in illa hora, quando sanctissima anima tua egressa est de sanctissimo corpore tuo, offerre & ostendere digneris DEO Patri omnipotenti pro anima hujus famuli tui *N.* & libera eum in hac hora mortis ab omnibus pœnis & passionibus, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas DEUS in sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Ave Maria.

Oratio.

Domine JESU Christe, qui per os Prophetæ dixisti: In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans: obsecro te, ut eandem charitatem tuam, quæ te de cælis in terram ad tolerandas omnium passionum tuarum amaritudines attraxit, offerre & ostendere digneris DEO Patri omnipotenti pro anima hujus famuli tui *N.* & libera eum ab omnibus passionibus & pœnis, quas pro peccatis suis timet te meruisse. Et salva animam ejus in hac hora exitus sui. Aperi ei januam vitæ, & fac eum gaudere cum Sanctis tuis in gloria æterna. Et tu pijsime Domine JESU Christe, qui redemisti nos pretiosissimo Sanguine tuo, miserere animæ hujus famuli tui, & eam introducere digneris ad semper virentia & amœna loca Paradisi, ut vivat tibi amore indivisibili, qui à te, & ab Electis tuis nunquam separari potest

potest. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas DEUS in sæcula sæculorum. R. Amen.

M E M B R U M V.

Protestationes S. Caroli Borromæi utilissimæ
Infirmis prælegendæ.

P R O T E S T A T I O I.

IN nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus sancti, ego infelix & miser peccator, protestor in præsentia tua, ô Angele DEI, assignatam mihi à Divina Majestate pro ductore, cum primò natus sum, velle & desiderare me mori in ea sola vera & Catholica fide, quam Sancta Romana, & Apostolica tenet, & profitetur Ecclesia, & in qua omnes Sancti, quotquot fuerunt unquam uspiam, mortui sunt; nec desidero diutius vivere, quàm placeat Deo meo, cui omnem meam voluntatem integrè & toto subijcio.

P R O T E S T A T I O II.

Protestor etiam, ô Angele DEI, desiderate & precor te, ut me sub tua sancta custodia ac protectione, non recedere ex hac vita, cum spe Divinæ misericordie sine ulla titubatione in fide, non obstante quacunque multitudine, & gravitate peccatorum meorum, certò sciens, ac firmissimè credens, etiam unam solam guttam pretiosissimi Sanguinis Domini nostri Jesu Christi sufficientem futuram fuisse, non solum ut me salvaret, sed universum etiam genus humanum, quin & mille mundos, si ita placitum fuisset Divinæ suæ Majestati.

P R O T E S T A T I O III.

Similiter protestor, ô Angele Sancte, petere me ut sintimo corde, participem fieri misericordie De-